
riz Josephus

Dobrakowski Casimiri Fab. Terminalia



TERMINALIA
PERFECTIONE & SCIENTIA
CLARISSIMI, & EXCELLENTISSIMI DOMINI,
D. M. JOSEPHI CZĘCZKIEWICZ,
Philosophiæ & Medicinæ Doctoris,
CONSULIS CRACOVIENSIS,
in die sua à Romanis constituta
JNSTAURATA.
&
in Actu Responsionis
PRO LOCO
inter Clarissimos Viros Inclytæ Facultatis Medicæ
in Alma Vniversitate Cracoviensi
DOCTORES ac PROFESSORES
obtinendo
A
M. CASIMIRO FABIANO DOBRAKOWKI,
in eadem Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore, & Professore.
PUBLICATA.
Anno Dñi M. DCC. II. Die XXI. Mensis Februarij.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

TERMINALIORVM.

Hodie Solennitás est!

CLARISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE,

D. M. JOSEPHE CZĘCZKIEWICZ,

Philosophiæ & Medicinæ Doctor, &c.

Quam
Nono Calendas Martij inaugurante,
sub Labaro Galeni, metatis Literarijs Castris,
alijs motis,
Solo Te TERMINO,
Perfectionis & Scientiæ
immobili,
instauras.
Lividâ suffusus tabe, Martis exardescit furor
suas violatas vindicando Ferias,
Te tamen Pœonia arte pollentem Apollinem miratus!
succiduum substernit poplitem.
Madidas cruore spiravit dominandi fauces.
ex Orchestra silentij prodeuntem perfectionem vt advertit,
qnem tempserat, cedentem simulare, cogitur.

Salve Festa dies!

Vita Tua
Clarissime, & Excellentissime Domine,

Præsens Festivitas est!

Famulatu dexteræ Iovis vixisti,
ac si nunc, cum stupore mentium. in publicum proditurus.
Aurora quondam rapuerat Clitum
eum Te dotum charismatis oneratum, præficit Cathedræ.
Mane gratiosâ virtutum tincturâ digestum,
solenne divulgat tempus.

Auro

Auro comata Oriens venuſtas,
agonizanti Orbi, ſalutiferum pollicetur elixir.
Fas ne creditu?
A ſingulis Deorum, Charmoniæ Divina collata fuiſſe munera?
nefas;
Neceſſe fateri. Pandoram donis ſpoliatam,
Hodie Magnificum, divitibus vt cumularetur opibus à Cælo.
Superi, expectantis Sanguinis vota, Niobeis non immiſcuerunt
ſingultibus.
à teneris namq; Saphyrinum obryzo amœnitatis refertum ſudum,
diei huic invehendo,
in minutis temporum minutiorem nunquam expoſuerunt puſionem;
verùm accreſcentem IOSEPHVM
à ſummis mortalium Magnum æſtimatum,
ad ſumma omnia ſolicitè deſtinârunt.
Exceptas quo exornaret, horas Matutinas,
Encyclopædia Virtutis non caret!
licuit colligere rorem in præcipuis tenellæ ſuadæ vnionibus
quos ſpargere paradoxum erat.
Charitum & Muſarum Turba, tertium permiſit in Parnaſſo
Tibi erigi verticem;
aſt perfectio imminentis Feſti, nec minimum, nec infimum
nam medium cum beatis voluit capeſſere gradum.
Et quia
ſvaviius poſt aconitum Hyblæum; gratior poſt vepres
Roſa; ſerenior poſt Nubila Phœbus;
ideo,
purpureas ſudoris præmiſiſti cataractas.
ſereniſſimum explicaturus meridiem.
Terens labyrinthea viarum compita,
in aquoſo difficultatum, Authes, amentes fugiens tædas
filo Ariadneo diligentiæ ad Planum Maturæ Intelligentiæ collimaſti
Non ſolſequium memoriæ in Te refulſit,
quod Orientem tantùm adorat Solem
& cum occiduo, velut vmbræ evanidum ſimulacrum conditur.
adamantinâ ſepiâ fuſa in pectore grammata.
nunc in laboribus Clius, nunc in meliſſa ſelectorum

ad numerosa Nili ostia sedulitatis, parturiere amethystos.
Etiam totus immersus Mari scientiarum,
tranans Charybdum vada,
Casteriam divæ malaciæ attigisti,
lætam Terminaliorum cum opulentia creaturus diem.
Irruente virium macie, simul & semel esse immobilis
TERMINUS dignitate,
recusans,
prius multa arte, correspondente studio, Alcidicos quæsisti lacertos.
Enituit probatum robur superans Chrysippum
in fulcenda stoicorum Pœcile,
termite doctrinæ, noctibus in diem conversis conquisitæ,
in sapientum Porticu recreata
ad Laureas obtentas in fulcrum evasuro.
Affulsit hora auspex, magnæ præsentis celebritatis.
Dubijs vniformitas, falsis veritas, veritati tutella vbi extisti.
Offendere cavisti, defendendo dimicasti,
Dimicare absq; victoria exiguum, vicisti,
Plausum dicta quæsiere, triumphum reportârunt.
Antagonistæ invido arserunt furore,
victi, fassi sunt præstantiam.
Detrahentes, auxerunt.
Molesta non retudisti, redijt in Phalaridem scelus.
Inter errores plusquàm Dædaleos Theseus non intraveras,
à Minotauris ignorantiæ securus.
Percellens spiritu vivaci non vnum in fronte Gigantem Philistæum,
restitisti cum Helia,
præseferentibus naturam Prophetarum Bàal,
etiam solus quadringentis.
Divina subtilitate, ab imis scrutatus arcana Naturalium
Andabatarum more,
inter occultas qualitates, & dispositionum commenta,
non errâsti.
Cælestium Corporum inter se motus & occursus,
cum terrestribus connubia & duortia quæsiisti.
Probè, ex his passiones, formarum vires,
Materiei appetitûs, abdita Naturæ lecturus.

Avitæ

Avitæ aduncæ ANCHORÆ dentem minacem ad exteras
traiecisti Gentes;
etiam in lubricis viarum immobilis manens,
Nec ferro gravis tentendisti deorsum.
Polonos Triones centurijs virtutum sub constantia
cùm exornaveris,
ala præpete inter æthras, per æthera volitantis laudis,
Patavium advolasti
Hîc Tibi nectareus gustus, & intentorum Coronis.
Medicinæ hîc in fonte voluptas,
Theombrotum non super Platonem, sed Galenum, non imitatus,
primò amare animas ad salutem, post corpori mederi
Tuum principium erat.

Medicum CHRISTVM
Universum Genus humanum curantem
amplexus.
Connectendo Physicas Causas cum effectu,
Media ad Curationem dirigens.

Medicus, Philosophus.
celeriter, bene, sanitatem restituens, juxta præscriptum Asclepiadis
DOCTOR evasisti.
Anatomiæ, Physiognomiæ, gnarus
tutus symptomata curans.
Medicinam atroci cæde non deformasti.

Redux in Patriam
à communi voce, non ad oculum, sed ex merito,
quæ aliqunando diu deliberat,
cui Roscio plaudite! dicat,
mereris justam apotheosim.
Verum Tui pretium patet,
cùm antequam in sinum amplexûs reciperetis.
à Corde Magnorum, Magneticavi, proprios veniens ad Penates
possidebaris.
Patieris forsitan Zoilum?
Non merita sed Magna in sanguine Nomina
Tibi adauxisse Honorem Numinis.
Apage! invida rabies.

Tiaratus vertex

Perillustris & Reuerendissimi Domini,

D. DOMINICI FRANCISCI LOCHMAN,

I. V. Doctoris, B. MARIÆ Virginis in Circulo Crac: Archipresbyteri, Collegiatarum Sandomiriensis Decani, in Opatow Custodis,

tulit æstimationem.

pulsandos postes ad Templum Honoris
meritis Tuis reliquit.
Gratiarum Proles, virtutum hexecontalithos
Eloquio Isocrates,
singularis Astrææ Deæ Cultor

Perillustris, Clarissimus & Admodùm Reuerendus Dominus

D. M. MARTINVS WEGRZYNOWICZ,

S. Th: Doctor, I. V. Professor,

Protonotarius Apostol: Ecclesiarum Collegiatarum Pilecensis Archidiaconus, SS. Omium Crac: sitæ Caonicus, Parochialis in Tczczyca Curatus.

gloriosa posuit vestigia insigni adoreæ Gratiæ, Te expenti,
factis gloriosis proprijs, elegisti Augustali Divorum invehi.
Emerita cognatorum probitas.
ad sublimia angustam dilatavit semitam:
sed cùm
Ipsa quidem Virtus pretium sibi, solaq; latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus vllis
erigitur.
Non opis externæ cupiens, non indigus laudis,
divitijs animosus Tuis,
immensa metiris.
Quòd Aquilæ Caio Mario. Romani Imperij fasces portenderint,
parum est!
illa namq; raritas, sola imbellem partum evehere, valuit.

Hoc

Hoc Magnum!
præmissis meritorum positis,
quia Consulatum celeberrimæ Metropolitanæ Vrbis Crac:
conscendisti.
Verus Consul es; nam consulis integritati Vrbis
satageret populus Tibi Conso instaurare Circenses.
nisi Festo hodierno ex Te, Tuo, sacrosanctè colendo præpediretur.
Eò usq; processit Tua Dignitas;
vt coarctari cancellis privatis non passa,
in publicos properaret consessus.
Obstantes discommodorum calcans sarcophagos
sustine, Magno fulta Colosso.
Exsiccavit lividas invidentium linguas ad meridiem ascendens
Tuus splendor;
vt scatebras roris emendicantes à sua hostilitate,
discerent sitibundos exhalare manes,
Crevisti in affectibus tantùm, quantùm plurimum
affectanti, satis.
Demeriti fugisti notas,
Respectibus potiri, æqvum erat.
Pantheon superorum aperiens, Panoplia Iustitiæ,
Argus pro Grege Domini
Perillustris & Reverendissimus Dominus,
D. VLADISLAVS
de Mińsko
OPACKI,
S. Theologiæ & I. V. Doctor,
Ecclesiarum Cathedralis Cracovien: Archidiaconus,
Parochialis in Koscielec Præpositus.
in statera sublimis Iudicij libravit Tuam Perfectionem,
dum Iustus, ad Iustitiæ Tribunal,
Te comitem sibi assumpsit.
Vidit Phænicem sine Socio!
Ergo meritò intimo amore, Tuam perfectionem veneratione
muneravit.

Primus cenſus mortalibus à ſuperis confertur
ſi Magnatum favor conciliatur.
Tibi Cælites plura erogaturi,
pro fidelitate quotidianum vectigal vincere animos conſtituerunt.
Reboans brontia vocali ferebaris ſcloppo
hunc invitando, illum cogendo,
ad amorem Tui.
Victor ſub Topiario Gratiarum eminebas.
Quem Plinium Traianus, Maronem Æneas, Achilles Homerum,
Illum Te appretians
Illuſtriſsimus & Reverendiſsimus Dominus,
D. CASIMIRVS BOKVM,
Epiſcopus Premiſlienſis
ponderavit in ærario divitis Humanæ Naturæ
achates, adamantes, amethyſtos, beryllos, chryſolithos,
Cyanos, Hyacinthos, Iaſpides, Topazos, Pyropos;
aut limandum aliquid, aut addendum iudicavit.
Te hephæſtitem in alijs ſparſa, collecta tenentem
adamavit.
Tam Nobilem animam à Corpore coarctari ſtupens
Spiritum intellectu Angelico per ſpecies impreſſas
vix ab obiectis ſumptas,
cuncta penetrantem contemplatus
Dignum Lauru Caput exclamâſſe, viſus eſt.
Illuſtriſſimæ MECINIORUM Domûs
P O R A Y.
Cherub cum verſatili gladio experientiæ
ad Paradiſum vetuſtiſſimæ Familiæ elegit,
ne Arbores crudelis Lacheſis manu, ſupplantare permitteres.
Credidit nullum Cypariſum ſuorum Heroum infuneſtam
Cupreſſum, convertendum
Vigili Tuâ Curâ
Speravit JOSEPHUM Salvatorem,
bene eſt!
ſpem evanidam non guſtabit.

Sono-

Sonora Tui Nominis echus,
non per desertas vagatur latebras;
nam Poloniam ambit.
quem tangit, illico illicit; imò perstringit.
Submisit Vavellianis CORONIS verticem,
desideratus illuxit Cracio Polo,
Perillustris & Reverendissimus Dominus,

D. LVCAS
à Czermin
CZERMINSKI,

Ecclesiarum Cathedralium Almæ Metropolitanæ
Gnesnensis & Cracoviensis Canonicus,
Parochialium Keynensis & Olesnicensis Præpositus.
Te suo expectavit sinu.
Pridem optato victimas amoris litavit.
Intimum dimittere noluit, donec efficax solatium reperijset.
Hominem quæsijt,
Diogenis non combussit facem,
Perfectum adinvenit.
Quis Apelles in Cordibus tam amabilem Tuam depinxit Imaginem?
vt vnus omnibus placeres!
Perfectio,
Quis fecit sine cæde in animis victoriam?
scientia;

Venit Meridies terminaliorum!

Consummata Dignitas rutilos accendit ignes, non fatuos
Lucent cætera sidera, ast mutuatâ luce:
Tu solem æmularis.
Occultetur splendor,
Vel Ancile Numæ Pompilio de Cælis delapsum,
Virtute prodibit in apertum.
Fortè jam post meridiem, sol declinabit ad Occasum?
Sta! ne moveare!

IOSEPH pro IOSUE loquitur!

C in obe-

In obedientia, meritis Tuis victima fiet.
Hesperugo mœstas non feret tenebras;
quia Lux vmbras pellis.
Occidere debent, quos cecidisse exhilaravit
Tu sub Abstine, TERMINVM constantem egisti.
Oriens in Honore, non occidens in affectibus,
vives.
Verùm dolendum!
Meus calamus exsiccatus ab æstu; ocyus ad finem
properare cogitur.

Festum publicavi, Tu fecisti.

Agito vltra solenne Tempus.
Conscende Locum & Doctoralem Cathedram.
Soli Tibi in Festo licet.
Parant Heliconiades immortale amaranthæum sertum,
Triumphantis & solennia instaurantis Tempora
præcincturæ.
submitte venerandum Caput; vtiq; invitaris,
Prehende Honorem; vtiq; expectaris.
Panduntur concordes amplexus,
accure celerior.

Longævus annis
Immobilis semper
celebra

TERMINALIA.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.

